

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1766

Auteur(s) : Évreux (official)

Bénéficiaire(s) : Beaumont-le-Roger, Sainte-Trinité, dépendance Le Bec (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1267, mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Robert de Fresney, reconnaît, devant l'official d'Évreux, avoir donné au prieuré, tout droit et toute action qu'il avait ou pouvait avoir.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Deville Étienne, *Cartulaire de l'église de la Sainte-Trinité de Beaumont-le-Roger*, Paris, Champion, 1912, n° CX, p. 84.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris officialis Ebroicensis, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constitutus, Robertus de Fresneio, porcarius feodatus de parco domini Regis apud Bellum montem Rogeri, de parrochia Sancti Leonardi de Bellomonte, ut dicebat, recognovit et confessus est se, intuitu pietatis et pro salute anime sue et animarum antecessorum suorum, dedisse et concessisse, et in puram et perpetuam elemosinam dimisisse viris religiosis et conventui de Bellomonte Rogeri omne jus et omnem actionem, quod vel quam habebat vel habere poterat, seu de cetero habiturus est, nec non et heredes sui quacunque ex causa in dicto parco dictis religiosis spectante, ut dicebat, tam in pasturagiis terris, pratis, aquis, quam in aliis rebus quibuscunque, ita videlicet quod prefati religiosi et sui successores permissa in puram et perpetuam elemosinam tenebunt, habebunt, possidebunt integre, pacifice, libere et quiete absque contradictione seu reclamacione aliqua dicti Roberti vel heredum suorum de cetero facienda, absque omni reddito, servicio et exactacione mundana, que ad manus dicti Roberti vel heredum suorum possunt vel poterunt de cetero devenire. Prenominatus vero Robertus et sui heredes prefatis religiosis et suis successoribus premissa contra omnes et in omnibus, tenentur garantizare et deffendere salvo jure alieno, vel alibi in propria hereditate sua, ubicunque sit, si necesse fuerit valore ad valorem excambiare. Juravit insuper coram nobis prenominate Robertus spontaneus, non coactus, tactis sacrosanctis evangeliis, quod contra presentem donationem, concessionem et dimissionem seu aliqua premissorum, per se vel per alium, non veniet in futurum, supponendo se quantum ad hec, jurisdictioni curie Ebroicensis, ad quamcunque dyocesim se transferat Robertus antedictus. In cujus rei testimonium et munimen, nos, ad petitionem dicti Roberti, sigillum curie Ebroicensis, una cum sigillo ipsius, presentibus litteris apposuimus. Quod autem audivimus hoc testamus, salvo jure alieno. Actum anno gratie millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, mense Maii.